Cracovien Decimarum.

1 **Rev. Pater.** PErsistendum omnino est = *In Decisis* = quoad circumscriptionem Decreti Sac. Nuciaturæ, quia nullitas ejusdem Decreti ex *defectu Iurisdictionis* non potest salvari; Dominus enim Auditor Reverendissimi Nuncii procedere voluit in figura *Supremi Principis*, & *Signaturæ* semel, ac per simplex Decretum *circumscripsit* Sententiam *definitivam* Metropolitani, & declaravit *pertinentiam* Causæ ad Ordinarium Cracoviæ, ut plenè etiam ex sonora confessione Partis demonstratum est *in nostra Informatione a §. 2. ad 7.*, unde sicuti indubitatissimum est, quod Nuncii, & multo magis eorum Auditores non habent facultates *Signaturæ Iustitiæ*, prout hodie etiam iterùm fatetur Pars Adversa, ita inde promanat apertissima nullitas ex defectu Iurisdictionis.

2 Præterea inhærendo etiam hodiernæ hypothesi Partis Adversæ, quod *Dominus Auditor* Nunciaturæ processerit in figura *Iudicis Appellationis*, adhuc exurgit inevitabilis nullitas Decreti *ex eodem defectu Iurisdictionis*. Siquidem Domini Adversarii, scilicet tam *Instigator* Mensæ Episcopalis Cracoviæ, quam Parochi *Szezucinensis*, & *Sborovecensis* coram Auditore Nunciaturæ non postularunt *nullam* declarari Sententiam Metropolitani, sed nulla mentione facta de assertis nullitatibus, hodie exadversò ad opportunitotem dumtaxat excogitatis, petierunt = *Sententiam* DEFINITIVAM *ferri*, *eaque mediante benè appellatum per suos Principales*, *malè vero* IUDICATUM *per Iudicium*, *a quo pronunciari* = *nostro primo Summario num. primo*. Ex parte vero Principalis petebatur pronunciari = *Male appellatum fuisse*, BENE *vero* PRONUNCIATUM *per Iudicem Metropolitanum*.

3 Quocirca si indubitatum est in facto, quod ipsi Adversarii non deduxerunt coram Auditore Nuncii assertas nullitates, minusque petierunt *remissionem Causæ* ad Ordinarium Cracoviæ, sed dumtaxat insteterunt cor. eodem Auditore pro pronunciatione *Sententiæ* DEFINITIVÆ, sicque pro absolutione Iudicii *super Meritis*, & *Negocio principali*, cum petere Sententiam *definitivam* sit petere Decisionem Causæ *super puncto controverso*, in necessariam descendit consequentiam, quod Dominus Auditor *nulliter* processerit, ferendo Decretum simplicis *circumscriptionis* Iudicati, & *remissionis* Causæ super Negocio principali ad Ordinarium Cracoviæ CONTRA PARTIUM PETITIONEM, cui Iudex in pronunciando sese uniformare debet, alioquin Iudex pronunciando *super re coram eo non deducta* sine jurisdictione procedit juxta expressos *Textus*, & *Auctoritates* allegatas *in nostra Informatione* §. 8.,

quibus addi potest in puncto *Scacc. de appellat. quæst. 19. remed. 1. conclus. 3. num. 16.*, ibi = *Limita primo dicta &c., ut non procedant, quando Appellans reservasset sibi jus dicendi de nullitate, quia tunc non includeretur in Appellatione, & consequenter Iudex Appellationis non potest cognoscere de nullitate, vel validitate Sententiæ*, ET IDEO SENTENTIA, *quam ferret super nullitate, vel validitate Sententiæ*, NON VALERET, *tamqaam* NON CONFORMIS LIBELLO =

4 Nullitatem Decreti Nunciaturæ ex hoc capite promanantem præsensit Pars Adversa, sed ait, petitam quoque fuisse circumscriptionem Sententiæ Metropolitani ex capitè nullitatis, eo ipso quod includitur in Instantia facta pro infirmatione dictæ Sententiæ juxta *auctoritates* inutiliter congestas *in contraria Informatione* §. 16., & 17.; Etenim admittimus, quod quando appellatur *simpliciter* a Sententia definitiva vigore illius Appellationis, potest Appellans coram Iudice deducere infirmationem præcedentis Sententiæ tam ex capite nullitatis, quàm ex capite injustitiæ, & Iudex cognoscere de ipsa nullitate Sententiæ, in quibus terminis loquuntur *Scacc.*, & *Vant.* exadverso allegati *in citato* §. 16., & 17., ut illorum verba legenti patebit.

5 Sed dicimus, quod Domini Adversarii, licet potuissent, attamen non deduxerunt assertam *nullitatem* Sententiæ Metropolitani coram Auditore Nuncii, minùsque petierunt *remissionem Causæ* ad Ordinarium, sed *unicè* se restrinxerunt ad petitionem *Sententiæ* DEFINITIVÆ, qua pronunciaretur *malè judicatum* per Metropolitanum, sicque firmum semper remanet, quod Partes insteterunt coram Auditore pro definitione *Negocii principalis*, mediante petitione promulgationis *Sententiæ* DEFINITIVÆ, & Dominus Auditor vice promulgandi *Sententiam* DEFINITIVAM *super Negocio principali Causæ*, simplex edidit Decretum pro simplici *circumscriptione* præcedentis Iudicati, & *remissione* Causæ *pro absolutione Negocii principalis* ad Ordinarium Cracoviæ contra formam Libelli, & petitionem Partium, Instantium SENTENTIAM *ferri* DEFINITIVAM, eaque mediante pronunciari *malè*, & respectivè *benè judicatum* per Iudicem Metropolitanum.

6 Rursùs nullitas Decreti Nunciaturæ scatet ex alio capite, quod Judex appellationis *à Sententia definitiva* non potest *circumscribere*, & *remittere* Causam Judicem, à quo semel fuerat provocatum juxta expressum *Text. in Leg. Eos qui Cod. de Appellat.*, cujus verba retulimus *in nostra Informatione* §.9.; Et quamvis Judex etiam appellationis habeat facultates remittendi Collitigantes ad Judicem, à quo, nihilominùs id verum est; quando *Judex, à quo DEFINITIVE'* non pronun-

nun-

nunciavit in Causa, quia tunc Judex appellationis, cognoscens Partem appellantem non fuisse gravatam per Judicem à quo, potest moderari suam inhibitionem declarando *malè appellatum*, & *remittendo* Partes ad Judicem à quo pro absolutione Negocii principalis, in quibus terminis mirificè procedunt *Auctoritates* congestæ *in contraria Informatione* §.29.; At secùs tamen, quando Judex à quo DEFINITIVAM protulit SENTENTIAM, prout in casu verificatur, quod Metropolitanus Gnesnensis *Sententiam definitivam* promulgaverat, ut *in nostro primo Summario Num.*13., quo in casu nullo modo poterat Dominus Auditor Nunciaturæ Judex appellationis à Sententia Metropolitani, hanc *Sententiam definitivam circumscribere*, & *REMITTERE* Causam ad Ordinarium Cracoviæ, qui nec etiam erat Judex à quo, dùm Judex à quo erat Metropolitanus.

7 Neque replicare juvat, quod sicuti Metropolitanus potuisset, immò debuisset, ut Pars Adversa prætendit, se abstinere à pronunciatione Sententiæ definitivæ, & remittere Causam ad Ordinarium Cracoviæ, ita quod non fecit Metropolitanus, facere potuerit Auditor Signaturæ; Siquidem prompta est legalissima responsio, quod Metropolitanus, quatenùs debuisset, potuisset appellationem, seu, ut vocant, remedium Juris revocare, & Partes collitigantes iterùm remittere ad Ordinarium, quia Ordinarius per definitivam non gravaverat Dominum Principalem, licèt gravamen cæteroquin intulerit, ut infra demonstrabimus, per Decreta interloquutoria, & quia Metropolitanus fuisset Judex appellationis *immediatè* à Decretis Ordinarii; sed id, quod potuisset facere Metropolitanus, quatenùs debuisset, non potuit facere Auditor Nunciaturæ, quia *Metropolitanus DEFINITIVE'* pronunciaverat, & Auditor Nunciaturæ erat Judex appellationis immediatè *à Sententia definitiva* Metropolitani, proptereaque uti Judex appellationis *à Sententia definitiva* Metropolitani, certè non potuit per *simplex Decretum* eamdem Sententiam DEFINITIVAM *circumscribere*, & Causam *remittere ad Ordinarium*, qui fuerat primus Judex in Causa.

8 Vix autem audiri potest, quod objicit *contraria Informatio* §.30., quod nempe Dominus Principalis appellationem à Decreto Nunciaturæ interposuerit, atque ob id viam ordinariam appellationis elegerit, itaut recurrere nequeat ad aliam extraordinariam circumscriptionis in hoc Supremo Tribunali; Quandoquidem per interpositionem appellationis coram Judice à quo non dicitur electa via ordinaria, quæ impediat immediatum recursum ad Supremum Signaturæ Tribunal pro circumscriptione Judicati, à quo fuit appellatum, dùm reverà quotidiè videmus circumscribi ab hoc Supremo Tribunali Sententia Judicum de Partibus, quamvis petens

 cir-

circumſcriptionem coram Judice à quo appellationem interpoſuerit, ſed contrarius diſcurſus dumtaxat procederet, quando Principalis nedum appellaſſet coram Judice à quo, ſed ulterius *Cauſam appellationis coram alio Judice introduxiſſet*; quod prorſus in præſenti caſu non verificatur.

9 Sicuti quoad Decretum Nunciaturæ perſiſtendum eſt *in deciſis* pro illius circumſcriptione, ita *de Cauſis* reſpondendum eſt *à Sententia Metropolitani*, quia non ſubſiſtunt jactatæ nullitates exadverſo ſub mille æquivocis propoſitæ adverſus noſtram Sententiam Metropolitani; Et ſanè aſſertus defectus Citationis Inſtigatoris Menſæ Epiſcopalis Cracoviæ non probatur, quia neque DD. Adverſarii, neque D. Principalis omnia Acta coram Metropolitano geſta tranſportarunt, ut animadverſum eſt *in noſtra Facti* §.13., & 14., proindèque Pars Adverſa petens circumſcriptionem, onus habet omnia Acta tranſportandi, à quibus apparere poſſit aſſerti defectus Citationis; Maximè quia in ipſa Inſtantia, data *in calce noſtræ præteritæ Informationis*, non ſolum enunciatur, quod Parochus Sborovecenſis ageret *nomine tam ſuo, quam Inſtigatoris Curiæ Epiſcopalis Cracoviæ*, ſed etiam ibidem ſupponitur aliàs Inſtantias à Partibus præceſſiſſe, ut colligitur ex verbis illis = *Poſt admiſſam appellationem, FUNDATAMQUE hac in Cauſa juriſdictionem Judicis præſenti Metropolitani, FACTASQUE CONTROVERSIAS &c.*

10 Verùm ceſſat prorsùs hìc aſſertus defectus Citationis, quia hodie ex confeſſione ipſius Inſtigatoris conſtat, quod ipſe comparuerit coram Metropolitano ſive per ſe ipſum, ſive per Præpoſitum Sborovecenſem, dum in ipſa Inhibitione expedita in Tribunali Nunciaturæ vigore appellationis à Sententia Metropolitani ad inſtantiam ipſius *Inſtigatoris*, & aliorum Parochorum, & data *in calce contrar. Facti* §.2., DD. Adverſarii fatentur, quod coram Metropolitano Gneſnenſi inſteterint pro moderatione appellationis, ſeu remedii Juris, quod reportaverat Principalis adverſus Decretum Ordinarii, quo condemnatus fuerat ad reſtitutionem Decimarum perceptarum, ut videre eſt *in contrario Summario citato Num.*2. *litt.D.*, ibi = *A tali igitur Decreto ad Judicium Curiæ Metropolitanæ Gneſnen. appellavit, & remedia Juris exportaverit. Quo in termino APPELLANTES prætacta remedia Iuris ab eodem Iudicio exportata, ex quo reſpiciunt negocium principale, circumſcribi &c. PETIERINT.*

11 In ipſo etiam Decreto Domini Auditoris Nunciaturæ narratur, quod omnes Adverſarii, inter quos Inſtigator, exceptiones ſuas propoſuerint coram Metropolitano, priuſquam hìc deveniret ad prolationem Sententiæ, ut legitur *in noſtro primo Summario Num.*1. *litt.B.*, ibi = *Sed iterum per recurſum à dicto BierzynſcKi &c. ad idem IudiciumArchiepiſcopale &c.*

Gne-

Gnesnen. delata, *ibique definitivè decisa sit per Decretum* = *sub die* 14. *Aprilis anno* 1747. *Lovicii prolatum NON OBSTANTIBUS EXCEPTIONIBUS in contrarium A PARTIBUS COMPARENTIBUS adductis &c.* =, & de facto hìc assert. defectus Citationis ab Instigatore Curiæ Episcopalis numquam fuit propositus neque in Inhibitione vigore Appellationis, de qua *contrario Summario Additionali Num.*2., neque subindè in Instantia facta coram Auditore Nunciaturæ, *dicto nostro Summario Num. primo*, taliter ut in his circumstantiis manifesto liqueat, hunc assertum defectum Citationis hodie fuisse ad opportunitatem dumtaxat adinventum, atque excogitatum à Domino meo contrario Defensore.

12 Minusque subsistentiam habet defectus Jurisdictionis, sive ex quo coram Metropolitano nullatenùs transportata essent Acta præcedentis Instantiæ, sive ex quo Causa penderet coram eodem Judice primæ Instantiæ; quia defectus transportationis Actorum excluditur, dùm Judex Metropolitanus testatur vidisse omnia Acta primæ Instantiæ, ut in ipso *contrario Summario Num.*9. *litt.A.*, ibi = *VISIS ACTIS PRIMÆ INSTANTIÆ* = & in *nostro præterito Summario Num.*13., ubi pariter colligitur, Metropolitanum vidisse Acta omnia, & Jura hinc inde producta coram Judice primæ Instantiæ ex illis verbis, quæ in ipsa Sententia leguntur = *VISIS, ET LECTIS IURIBUS, ET DOCUMENTIS &c.* = rursus = *VISIS item, ac LECTIS inquisitionibus ex Testibus juratis &c. per Commissarios à IUDICIO A QUO pro utraque Parte deputatos facta &c.* =, demùm paulò etiam inferius = *EX ACTIS IUDICII A QUO, seu Documentis Partium* = ; In his igitur facti circumstantiis relinquimus sapientissimo Reverendissimorum Judicio, nùm Sententia Metropolitani circumscribi mereatur ex decantato defectu transportationis Actorum.

13 Alter verò ass. defectus jurisdictionis ex quo Causa indecisa penderet in Consistorio Curiæ Cracoviæ nullum itidem babet fundamentum, quià idem Consistorium usque ab Anno 1743. *Sententiam DEFFINITIVAM* promulgaverat, ut videre supplicamus *in nostro præterito Summario Numer.* 8.; Et quamvis Metropolitanus post emanatam sententiam de dicto anno 1743., per decretum latum die 18. Martii 1744. remisisset Causam ad idem Consistorium Cracoviæ ex quibusdam exortis novis Contingentiis, ut *in dicto Summario Num.* 9., Attamen post hanc remissionem Causæ denuo Ordinarius Cracouiæ *sub ANNO* 1745. *de mense Junii* gravavit D. Principalem, apponendo NOVUM SEQUESTRUM super aliis Decimis controversis *nostro præterito Summario Numer.*10.; necnon ordinando restitutionem Decimarum cum appositione etiam *alterius SEQUESTRI super ipso Beneficio Parochiali*, cum successiva etiam relaxatione EXECUTORIALIUM,

ut

ut videre pariter supplicamus *in eodem nostro præterito Summario Num.11. litt.D.*, *& Num.12.*

14 Secuti autem hæc decreta maximum gravamen intulerunt D. Principali, ita dubitari non potest, quin idem Principalis Merito appellaverit ad Metropolitanum, cum indubitatum sit in jure, quod à Decreto etiam inter locutorio, demandante *sequestrum*, possit appellari absque ulla expressione Causæ, & appellatio sit admittenda prout docent, *Bald. In Leg.6. num.5. Cod. de iis quibus ut indign.*, ibi = *In appellatione interlocutoria est exprimenda Causa nisi de gravamine constet juris præsumptione, uti quia Judex mandavit &c. REM SEQUESTRARI nam propter præsumptum vitium pronunicationis non est necessaria expressi Causæ appellationis. Nam ista interlocutoria est injusta hoc ipso, quod continet aliquid jure contrarium &c. SEQUESTRATIO EST REGULALITER PROHIBITA ergo in recto apperta supervacanea est ex pressio Causæ ubi ergo est talis interlocutoria, cujus iniquitas detegitur per allegationem juris, non est necesse inserere Causas appellationis* = Et cum aliis *Angel. consil.* 107. ubi prope finem concludit, ibi = *Posse à dicta Sententia SEQUESTRI appellari, hoc suadet æquitas* = Et generaliter certum, est quod à Decereto interlocutorio, quod secum trahi executionem, semper appellari possit *Scacc. de Appellat. cap. 2. quæst. 17. limit. 47. mem. 1. num. 190.*, *& 199.*

15 Posito igitur quod præfata decreta interlocutoria essent *gravantissima*, quodque ab iis appellatio foret admittenda per Metropolitanum, prout revera appellationem admiserat, ut *in nostro Summario Num. 11. litt. E.*, profecto percipere non possumus, quomodo dici possit, quod idem Metropolitanus nuilliter pronunciaverit supernegocio etiam principali per sententiam definitivam, quia eo ipso quod ad eumdem Metropolitanum devoluta fuit Causa vigore appellationis à supradictis gravantissimis decretis interlocutoriis, indubitatum est quod valide, & legitimè totam Causam absolvere potuit, ac debuit etiam super negocio princpali; tametsi Judex primæ Instantiæ per Sententiam definitivam nondum deciderat Causam super eodem negocio principali, cum appellatio ab incidenti admissa, secum trahat totam Causam etiam super negocio principali.

16 Neque obstat, quod opponitur *in contraria Informatione* §.38, quod nempè admitti non poterat appellatio à Decreto Interlocutorio super purgatione attentatorum, & restitutione Decimarum, quia non adfuit dumtaxat decretum super purgatione, & restitutione Decimarum, ut *in nostro Summario Num. 11.*, *litt. D.*, sed præcessit etiam aliud decretum pro appositione *sequestri* super Decimis, & quidem emanatum post remissionem Causæ à Metropolitano factam, ut recogno-

scere

ſcere ſupplicamus ex *noſtro Summario Num.* 9. , *&* 10. , à quo novo ſequeſtro , ut probavimus appellari poterat , undè potius attentatum fuit ſubſequens Decretum Curiæ Cracoviæ pro reſtitutione Decimarum , veluti emanatum poſt interpoſitam appellationem per Principalem à dicto ſequeſtro , & admiſſam à Metropolitano *ſub die* 10. *Iulii ejuſdem anni* 1745., prout patet *ex dicto noſtro Summario citato Num.* 11. *litt. B.*, & de facto Metropolitanus in ſua ſententia anni 1747. tanquam attentata revocavit omnia geſta in curia Cracovienſi poſt appellationem interporitam à Principali , ut *in eodem Summario Num.* 13. *ante litt. A.*

17 Caveant autem Rm̃i Patres ab intollerabili æquivoco Partis Adverſæ paſſim inſinuato *in contraria Informatione* , & præſertim *in* §. 26. , *& ult.* , quod ſcilicet ſententia Ordinarii Cracoviæ anni 1743. *in Rem Iudicatam* tranſierit , quia hoc eſt figmentum ejuſdem Partis Adverſæ, dum ſi ſententia Ordinarii Cracoviæ lata fuit *die* 30. *Ianuarii* 1743. *noſtro Summario Num.* 8. , & Cauſa appellationis à dicta Sententia jam pendebat coram metropolitano die 18. Martii anni 1744., *dicto noſtro Summar Num.* 9. , manifeſtum fit , quod elapſum non erat biennium , nec orta res Judicata .

Quare &c.

Antonius Dominicus Franci.

Signatura Justitiæ
R. P. D.

D E S I M O N E

Cracovien. Decimarum.

P R O

R.D. Michaele Severino Bierzynski Præposito Eccl. Paroc. Pacanoviensis.

C O N T R A

D. Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien., & RR. DD. Martinum Matlakovuski, & litis &c.

F

Responsio.

20

Typis Bernabò 1753.

Druki rzadkie dotyczące dziejów różnych województw polskich

20.000